

854.

1258—1282.

Abedissans i Skokloster Salubref på klostrets gods i Småland till Biskop HENRIC i Linköping, som dem betalt med uppvägna penningar.

A. 3. b. 8: 1.

Vniuersis christj fidelibus ad quos presens scriptum peruenerit .R. dicta abbatissa de sko totusque conuentus eiusdem locj salutem in virginis filio benedicto, vniuersis liquido patere volumus, & constare, quod mansiones quas in smalandia possedimus, uenerabilj patrj nostro domino .H. lincopensj episcopo pro pleno vendidimus precio, de quo uidelicet precio idem pontifex quatuor marcis argentj minus, quam centum marcas purj argentj sub duodenario numero persoluit, Insuper & autumpno cum clerico suo nicholao uigintj marcas argentj in ponderatis denariis tam in swenicis quam in gutensibus cum octo marcis argentj in sterlingis prefatus dominus nobis transmisit, ne igitur de supradicta uendicione aut empicione aliqua ualeat in posterum suborirj, presentj cedula sigillum nostrum cum consensu tocius conuentus nostrj fecimus apponj.

Sigillet skadadt.

855.

1258—1282.

CHRISTINA FASTES dotters ifrån Landasjö Testamente af åtskilliga saker till kloster och kyrkor m. m.

A. 4. d. 1.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti amen. Ego cristina fastonis quondam filia fragilis humane condicionis non inmemor, que mortis necessitati ineuitabiliter astricta cognoscitur, quamuis eiusdem hora penitus ignoretur, anime mee saluti prouidens & propinquorum meorum paci consulens, de rebus michi a deo concessis ordinandis & disponendis quicquid gracia inspirante super hoc conceperam, tam posteris quam presentibus transmitto commendatum, Nouerint ergo tam posteri quam presentes, me monachis de aluastro apud quos eligo sepulturam vnam curiam meam in swecia, que dicitur ramshamr, cum omnibus attinenciis preter mancipia omnia, quibus libertatem confero, in testamento reliquisse. Ita tamen quod si filius meus uolerit eandem curiam habere, eadem ei uel pro iusto precio, uel eciam pro alia curia que hagaby dicitur pro vt equum fuerit & eis conuenerit sine contradictione relinquatur, Jtem duos attungos in litla hagaby que annuatim soluunt XVI. solidos denariorum, & XII. thynones annone eidem clauastro assigno sub hac forma. Duos thynones & VIII. solidos annuatim in perpetuum ad reparacionem sacrarum vestium in sacristia eorum fidelissime

expendantur, Decem vero stýnones & alii VIII. solidi ad mensas fratrum in conuentu in illa ebdomada qua missas uiginti que infra specificabuntur jdem fratres celebrabunt per sollicitudinem & prouidenciam abbatis uel eius cui ipse commiserit, erogabuntur, vndecim autem misse erunt pro omnibus fidelibus defunctis, ita tamen quod prima collecta post mortem meam pro me specialiter habeatur, Relique vero IX. misse he erunt, prima de sancta trinitate. Secunda de sancta cruce. Tercia de beata uirgine. Quarta de angelis. Quinta. de apostolis Sexta de martyribus. Septima. de confessoribus. Octaua. de virginibus. Nona de omnibus sanctis. Item vnum attungum in seby in parochia ørabyrgh qui annuatim soluit VII. thýnones & VIII solidos similiter confero in hunc modum. De vno thýnone fiat ceruisia de altero fiant panes & cum duobus týnonibus ematur lardum & butirum in pýtanciam XL. pauperum vna dierum ebdomade qua supradicte misse XX:ti celebrantur. Duo autem thýnones commutentur in denarios qui cum octo solidis remanentibus inter eosdem XL pauperes equaliter diidentur. vnum vero thýnonem qui adhuc de VII. superest illi fratri qui in istis laborauerit prosequendis confero pro suo labore & sollicitudine in suam specialem utilitatem commutandum. Hec autem omnia debent fieri proxima dominica post ebdomadam trinitatis. Ceterum rogo humiliter & attente vt pro curia quam eiusdem claustrij conuentuj in testamento assignaui meus anniuersarius cum vigiliis & missis, in singulis annis post obitum meum fideliter obseruetur. Item curiam meam in nericia que dicitur fethlisti cum molendino & omnibus mobilibus sibi attinenciis preter mancipia quibus libertatem confero. volo uendi, & de precio eius singulis claustris in regno exceptis illis, quibus predia specialiter assignaui V:que marcas denariorum persolui. Singulis eciam ecclesiis in quarum parochiis curias possideo confero vnam marcam denariorum. Sacerdotibus uero earum singulis vnam vaccam. Preterea .III. oras terre in vestby confero fratribus predicatoribus de insula. Duas uero oras terre ibidem monialibus de sco. vnam autem oram terre de eadem curia monialibus de sicthonia. verum X. solidos terre de illa curia fratres de insula quibus hoc dixero fideliter pauperibus distribuunt. sicut eis mandatum fuerit precium ordinantes Duas similiter oras terre in predicto wæstby duobus claustris fratrum minorum østraharus .s. wýsbý. assigno. Preterea duas oras terre residuas uolo eciam uendi & de earum precio fratri Jacobo arosiensi dari III. marcas. fratri Nicholao sigtunensi vnam. & tercio fratri qui cum eis ordinandis laborauerit vnam marcam. Quicquid autem superfuerit de precio predij eiusdem curie, cum precio domorum & aliorum mobilium preter mancipia que libertati dedi. iungantur precio curie felestum & vt dictum est dispensetur. vnam marcam argenti de illis confero ecclesie lincopensi. vnam marcam argenti ecclesie strengyanensi. Item confero conuentui de aske-

bý ad mensam dominarum vnum attungum in østbý sicut prius. Dimidium attungum dederam eis in thiust in villa que dicitur swenrum. Jtem eisdem assigno scrinium argenteum cum crucifixo desuper aureo & pixidem vnam argenteam. Loco autem ubi sepulta fuero confero turribulum argenteum. & ýmaginem beate virginis eburneam. & ýmaginem beati kanuti de dente cetino facta cum pixide argentea sancti michaelis quam monachis de aluastro prius promisi. & ampullam vnam argenteam ad illam quam prius *comiserim* eisdem. Jtem monialibus de sco. confero casulam de baldakino cum alba & superhumerali & stolam & manipulum de lýdewef, & duas ampullas argenteas Jtem fratribus de insula predicatoribus preter alia prius posita do pixidem beati Michaelis argenteam cum ýmagine beati *michaelis* desuper aurea. & duas ampullas argenteas quarum *alteram* habent, Christine parue do psalterium meum si vixerit post obitum meum *si non autem* habeat domina helena de sco holmgeri relicta. Ceterum istis confero libertatem Margarete & ragnildi de thýpt, Mannonj swenonj. Erngundi. Erico Hermundo de landasio Jtem filiis siggonis longi johanni & ragwaldo. Jtem notifico omnibus liberos esse havardum swenonem & ceciliam.

På frånsidan: Domine christine de landasyo; särskilt: de hagaby.

Sigillen: N:o 1 bortfallet; 2 ett stycke kvar.

856.

1258—1282.

CHRISTINA FASTES dotters Tillägg till sitt testamente rörande anslag af 5 tunnor spanmål årligen till syslomannen i Alvastra kloster för förböner, som för henne på bestämd tid skola hållas.

A. 3. v. 5: 1.

Omnibus presentes litteras inspecturis, Cristina fastonis quondam filia salutem in domino sempiternam, Cum instabilis sit humana memoria & defectus multiplices paciatur, competenter sollercia sapientum prouidit, ea litteris commendare, que conueniunt in futurum memoriter retineri. Hinc est quod vniuersorum noticie presentibus volumus intimari, me talem pactionem cum domino Johanne abbate aluastri presentibus monachis suis fratribus olauo cellerario, alexandro, & holmgero eiusdem domus, fecisse, Quod propter bona que prefate domui in meorum remissionem contuli peccatorum, cellerarius quilibet alter post alterum sexdecim thynnones annone annuatim de communitate accipiet pro pitancia singulis annis, in mei memoria, secunda feria post dominicam sancte trinitatis, qua misse dicende sunt, vt in testamento meo continetur, decentius facienda, quod tanto deuocius pro me preces suas altissimo deo persoluent, vt die eadem super victum consuetudinarium eiusdem gracia aliqua in mei memoria erogetur, Sed quia mortalium facta, ut